



HISTORIARUM INDICARUM LIBER OCTAVUS.

DUM hæc apud Indos alterna succedunt vice ; interim ex alia quoque parte , atque adeo plane diversa , perquam insigne ab homine Lusitano facinus editum est. Fernandus Magalianes agebat Olisipone , ingenti animo vir , & rei navalis apprime callens. Is , quod in India sub Albuquerque duce stipendia multa fecisset , nequaquam pro spe præmiorum (ut in suis plerunque meritis æstimandis nimium sibi favet humana cupiditas) ab Emmanuele tractari se questus , ad opulentiorum Caroli Cæsaris Castellæ Regis aulam transiit. ibi , cum astronomis aliquot communicato consilio , & implacabili odio in Emmanuelem accensus , Cæsarem & consiliarios docet , Molucas insulas , quarum celeberrimis toto jam terrarum orbe divitiis Lusitani fruuntur , intra Castellanæ conquestionis limites haud dubie contineri. idque non pluribus tantum argumentis e mathematica supputatione contendit ; sed etiam acceptis inde litteris a Francisco Serrano , de quo supra commemoravimus ; in quibus de admirabili quadam ejus regionis cum opulentia , tum ab aurea Chersoneso longinquitate differeret. Profecto , si a fortibus & peritis hominibus tentetur ex Occidente iter , haud ita magno negotio e Peruana terra in easdem insulas penetrari posse. opem dein addit monitis : ac se , modo in eam expeditionem necessaria præbeantur , in omne discrimen , experiundi causa , paratum ostendit. Movit Cæsarem & magnitudo promissi , & Fernandi auctoritas cum testimonio Serrani conjuncta. Quinque compactis egregie navibus , eximio & nauta & milite ad Hispalim instructis , (quo in numero exules erant Lusitani complures) unus Magalianes cum summo imperio ac potestate præficitur. Cum iis navibus , Bæti fluvio in altum Oceanum evehctus , Canarias primum insulas , tum Brasiliam certo jam pridem itinere petiit. inde , velis in Austrum datis , cum ignota littora diu legisset , ad magni fluminis ostia ventum est ; quod Sancti Juliani vulgus appellat. is locus quinquaginta gradibus ab æquinoctiali abest circulo. neque inde longe , infesto rigore , & æterno pressa gelu , nivosa montium cacumina in cælum exsurgunt. terram incolunt homines immani duodecim amplius dodrantium statura , efferis moribus , crudis in cibum carnibus adsueti. e quibus duo ad classem attracti , blandimentisque ac muneribus a Magaliane deliniti , intra paucos dies ex insolita victus consuetudine periere. Ad eam oram explorandam missa navis una , cui præerat Joannes Serranus , in scopulos illata , salvis tamen hominibus , frangitur. Hisce rebus conterriti classarii , & præter alia maris incommoda , sævissimo frigore enecti ; incerta vitæ & perve-